Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



paralytico · sicut in multis ita faciunt · pretermittentes media ·
tamquam hoc continuo subsequatur · quod sine ulla pretermissionis sue
seu significatione subiungitur · Hinc ergo sequitur matheus dicens ·
Et cum inde transisset ihesus · uidit hominem sedentem in theloneo · ma
theum nomine · et ait illi · Sequere me · Et surgens secutus est eum ·
Hoc marcus ita narrat · eundem etiam ipse ordinem seruans · post illius
paralytici sanitatem · Et egressus est inquit ad mare · omnisque turba
ueniebat ad eum · et docebat eos · Et cum preteriret · uidit leui
alphei sedentem ad theloneum · et ait illi · Sequere me · Et surgens se
cutus est eum · Nichil hic repugnat · ipse est enim matheus qui et le
ui · Lucas etiam post eundem paralyticum sanatum ita subiun
git · Et post hec exiit et uidit publicanum nomine leui · sedentem
ad theloneum · Et ait illi · Sequere me · Et relictis omnibus surgens
secutus est eum · Hinc autem probabilius uidetur · quod hec
pretermissa recordando matheus commemorat · quia utique ante
illum sermonem habitum in monte credendum est uocatum esse matheum ·
In eo quippe monte tunc lucas commemorat omnes · xii · ex plurimis disci
pulis electos · quos et apostolos nominauit · Sequitur itaque matheus et dicit ·
Et factum est discumbente eo in domo · ecce multi publicani et pec
catores uenientes discumbebant cum ihesu et discipulis eius · et cetera ·
usque ad illud ubi ait · sed uinum nouum in utres nouos mittunt · et
ambo conseruantur · Hic matheus non expressit in cuius domo dis
cumbebat ihesus cum publicanis et peccatoribus · Unde posset uideri
non ex hoc ordine subiunxisse · sed quod alio tempore factum est
recordatus interposuisse · nisi marcus et lucas qui hoc omnino
similiter narrant · manifestarent in domo leui · hoc est mathei
discubuisse ihesum · et dicta illa omnia que secuntur · Ita enim marcus
hoc idem dicit · eundem sermonem seruans · Et factum est cum accum
beret in domo illius · multi publicani et peccatores simul